

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0406


0404

0410

0400

0415

ipsi sitis squalore tribulati fuimus, ut patebit. Septimo regio illa dicitur terra salsuginis, Jeremiae XVII.: Habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. Ros enim cadens terram illam sale conpergit et arbusta et gramina, si qua sunt, infundit; tota enim roris humiditas sal est. Insuper aquae per suffosionem terrae inventae salsa ut plurimum sunt. Reperitur etiam convallis aliqua humorem ex semetipsa gignens salsum, quem continuo calor solis velut hiemalem pruinam in glaciem, ita in salem stringit, et tamquam sudes acutas ex ipso sale efficit, atque ita omnia illa exasperantur loca, ut pertranseuntium terebret et secet etiam calceatos pedes. Octavo dicitur regio illa terra invia Psalm.: in terra deserta invia et inaquosa. Dicitur autem invia, quasi sine via. Ideo Jeronymus in epistola de celebratione paschae dicit, quod hi, qui per solitudines arenosas in interiora austri nulla certa semita graduntur, sideribus intendunt; non enim per desertum certae viae esse possunt, etiamsi cottidie esset perambulatio hominum et bestiarum, et hoc ideo, quia venti fortissimi et turbines validissimae sunt in deserto, quibus arena defertur et levatur impetu grandi de tota superficie terrae, et ita currit arena cum vento, sicut aqua mota, idcirco nonnulli desertum nominant mare arenosum. Insuper montes alti arenosi illis turbinibus de loco ad locum transferuntur in una nocte, quod, ubi hodie est planities, cras reperies altum montem repositum. Et ista translatio montium est (b) cottidiana tempore ventorum. Non autem ita fit, ut tota moles simul removeatur, sed superiora a ventis deportantur, usque ad terrae fundamenta, et alio in loco coagulantur, et fit novus mons, quatuor aut quinque milliaribus a primo loco. Nonnumquam autem valles magnae arena replentur, et si duret tempestas in loco vallis, consurgit mons, et ubi nudius tertius vallis profunda fuit, ibi hodie mons eminet. Montes etiam petrosi immobiles arena fluente operiuntur, ita, ut ubi heri apparebant montes petrosi, hodie nihil nisi arena videatur. Et ita via certa esse non potest in deserto. Sunt enim ibi cottidie quasi tempestates arenarum, sicut in mari tempestates aquarum, et sunt periculosissimae; nam tota superficies terrae movetur, et homo nihil videt nisi arenam vehementissime



Ende

Anfang